

- 4 In Sacris Scripturis præceptum est ne Viduæ contemnantur.
- 5 Ità, & in sacris Canonibus commendatur Regum offitium in Viduarum protectione.
- 6 Si Judex laicus negligat Judicium, & Justitiam Viduæ administrare, hæc potest recurrere ad Judicem Ecclesiasticum.
- 7 Vidua tutelam gerens filiorum, si juravit à secundis nuptiis abstinere, & negligat Jurandum, tria negligere dicitur (Deum, memoriam Mariti, & Charitatem filiorum).
- 8 Discutitur articulus, utrum liceat Viduæ primo mense à morte Mariti omittere Missæ auditionem in Ecclesia ex usu non exundi domo per mensem.
- 9 In iis quæ sunt adversum legem Dei consuetudo reprobatur.
- 10 Consuetudine excusantur Viduæ omittentes exire domo ad audiendam missam per mensum immediate sequentem mariti mortem.
- 11 Quæ consuetudo non adversatur legi divini.
- 12 Laudatur heroica Virtus Sanctæ Elisabethæ Reginae Portugaliæ, quæ regium funus Mariti personaliter subsecuta est.
- 13 D. Paulus multam diligentiam requirit in Viduis.
- 14 Viduæ non debent se ipsas negligere, idest mores, & actiones suas debent diligenter custodire.

## ARTICULUS XXXX.

## De Negligentia Viduarum.

- V**iduæ appellatione proprie venit ea, cujus Maritus mortuus est, c. Viduæ dist. 34., Ethimologice dicitur sine duitate, seu dualitate, sicuti Vecors sine corde, Vefanus sine mentis sanitate, quæ verba componuntur ex ve idest sine, & fanus, idest mentis sanitate, ita vidua nomen componitur ex ve, idest sine, & duo idest duitate, ex quo non dividit carnem suam ad alium Maritum.
- 2 Vidua ergo tamquam Marito, & sustentaculo destituta debet à Principe, & magistratu protegi, & subveniri, Apostolus autem 1. ad Timot. c. 5., distinguit duo genera viduarum, aliæ scilicet quæ verè Viduæ sunt, idest quæ ita sunt Marito destitutæ, ut virum non quarant, nec carnis appetant voluptatem, nec mundi sequantur vanitates, ornatus despiciant, & delicias post habeant seculi, aliæ verò, quæ quarunt, optant, & sequuntur ea, quæ licet corpore, verè tamen secundum mentem Viduæ non sunt, sed in deliciis mortuæ: primi generis præcipit duplicis honore honorari, non sic viduas: secundi generis.
- 3 De Viduis primi generis intelligitur illud Jeremie c. 22., Viduam nolite contristare, & illud Psal. 131. Viduam ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus, & psalm.

134., Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet, Exodi. 22. Viduæ, & Pupillo non nocebitis; Jacob cap. 1. religionem dicit, visitare Viduas, & Pupillos in Tribulationibus.

- 4 De eisdem sub maledictione præcipitur Regibus, Principibus, & Magistratibus, ne contemnant, & negligant viduarum causas, & Judicia, Deuteronom. c. 27. nu. 19. ibi, Maledictus, qui pervertit Judicium advenæ, Pupilli, & Viduæ, sed debent esse eis loco Patris, l. tam dementis 21. C. de Episc. audientia, & Deuteronom. cap. 24., Non pervertes Judicium advenæ, & pupilli, nec auferes pignoris loco Viduæ vestimentum, Isaia cap. 1. subvenite oppresso, Judicate pupillos, defendite Viduam.
- 5 Quod elegantibus Verbis, expressit D. Hieronymus relatus in c. Regum offitium 23. q. 5. ibi Regum offitium est proprium facere Judicium, & Justitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppressos, & peregrinos, pupilloque, & Viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium.
- 6 Ex quo provenit, quod negligente Judice laico facere judicium, & justitiam Viduæ petenti, ea possit recursum habere ad Judicem Ecclesiasticum, & trahere laicum etiam in causa penitus laicali, c. ex tenore de foro compet., ubi Barbosa num. 3., Bellef. disquis. Clerical. p. 1. tit. de favore clericorum

ricorum reali §. 5. num. 34., & Gelasius Papa c. 1. dist. 87, præcipit in hæc verba, Viduis autem, & Orphanis Ecclesiæ præsidium implorantibus Episcopi debent adesse, cumque ea quæ in sacris litteris scripta sunt ad nostram Doctrinam scripta sunt, Luca c. 7. legimus, quod Jesus Christus ingressurus civitatem Naim, videns mulierem viduam flentem mortem unici filii sui, misericordia motus super eam, non dicit super eum, & à nemine rogatus, sed propria sponte, Juvenem revocavit ad vitam in matris Viduæ solatium, alioquin semper legimus, quod solum enixè rogatus alios mortuos revocasset ad vitam.

Ex iis patet, quæ diligentia sit adhibenda ad favorem Viduarum, verum, & ipse Viduæ debent in pluribus diligenter se gerere, ut negligentia culpam evitent.

- 7 Non enim deficiunt negligentia culpabiles in Viduis; quarum prima habetur in c. 20. si autem tutela gerat. Auth. de nuptiis, nempe si vidua tutelam gerens filiorum, juraverat à secundis nuptiis abstinere, & post hæc transeat ad secundas nuptias, tria dicitur negligere, nempe Deum propter neglectum Jus jurandum, memoriam primi Mariti, dum secundi admittit amplexus, & charitatem filiorum in quos amor maternus minuitur, & fit suspecta de mala administratione, propter quod privatur tutela.
- 8 Utrum autem Vidua, si post mariti mortem per mensem non exeat domo ad missam audiendam in Ecclesia, negligentia, & omissione culpetur, ex quo præceptum de audienda missa die festo neminem excipiat, & non nisi ex justo impedimento excusetur, quale non videtur in Vidua mariti deficientia præmortui, scimus enim S. Elisabetham Reginam Portugaliæ, marito mortuo Regio funeri constanter interfuisse, quod inter ejus singulares virtutes commendatur ab Ecclesia, non ergo potest probari factum contrarium scilicet, ut marito mortuo Vidua domo non exeat, ommittat sacrum audire, quia illud dicitur licitum cujus contrarium est illicitum, Bartol. in l. ut vim ff. de Justitia, & Jure, lex autem de missa audienda est ad effectum sanctificandi festum, lex autem de sanctificando festo est divina, ut in decalogo sabba-

9 Nec videtur Juvari consuetudine, quia in iis, quæ sunt adversus Legem Dei, consuetudo reprobatur, quod super bis in fine de Consanguin., & affin., c. cum tanto de consuetud., lex autem Ecclesiæ præcipiens sine ulla exceptione fideles audire missam, censetur lex Dei cum auctoritate à Deo recepta Pontifex Christi Vicarius cuncta præcipiat, c. Quanto personam de translatione Episcoporum.

- 10 Attamen attenda consuetudine, quod Viduæ primo mense post obitum Mariti domi se contineant in signum mestitiæ, & doloris, & consequenter missam non audiant, non sunt culpandæ, & ad hoc facit dictum D. Gregorii Papæ relatum in c. quemadmodum dist. 12., ubi dicitur Quemadmodum illicita perpetrari non patimur, sic quæ sunt consuetudinis non negamus, consuetudo enim est veluti altera lex non scripta, quæ in iis, quæ non sunt intrinsecè mala facit de non licito licitum, & excusat à culpa, Bartol. in l. fugitivus §. apud labeonem ff. de edilit. edicto, Barbosa de Axiomat. Juris Axioma 56. n. 3., & licet nu. 4. limitet, quoad pœnam peccati, quia consuetudo non potest facere de illicito licitum contra legem Dei, id omnino intelligendum in iis quæ divina, & naturali lege sunt illicita, idest intrinsecè mala, vel si contra legem Ecclesiæ positivam, ea non sit ab Ecclesia tolerata, sed reprobata, ut in c. cum venerabilis de consuetudine, ubi glos. in Verbo Consuetudo, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus; nam consuetudo nota Pontifici, qualis præsumitur ista propter diurnitatem, & universalitatem, vim recipit à tacita mente Pontificis, dum non reprobatur, ac propterea dici solet, quod consuetudo parem vim habet cum lege, l. de quibus ff. de legibus, §. ex non scripto Instit. de Jure naturæ gentium, & Civil., Bellef. disquis. Clerical. p. 1. tit. de favore Clericorum person. §. 3. num. 10., vel etiam licebit dicere, quod ista consuetudo non sit contra præceptum Ecclesiæ, sed ejus interpretativa, ad tex. in l. minimè ff. de legibus, quatenus communi omnium D.D. sensu præcepta Ecclesiæ censentur, seu interpretantur non obligare cum gravi incommodo, quale censetur hoc, quod Vidua statim post mortem Viri exeat è domo, dum

mo, dum censetur parvifacere viri demortui memoriam, tum etiam quia Ecclesia compatitur mulieris fragilitati, mestitiae, & dolori.

11 Ex quibus facile solvuntur, quæ primo in contrario notantur, nam ista consuetudo non est contraria legi Divinæ, quæ sit Juris naturalis Divini, de re intrinsicè mala, sed vel contra præceptum positivum Ecclesiæ, quod non obligat cum tanto incommodo, vel interpretativa præcepti, vel Pontifice sciente, & tollerante firmata; Iex autem Ecclesiastica dicitur divina, ad differentiam legum civilium, quæ de secularibus, & temporalibus disponunt, Ecclesiastica verò de sacris, & ad Deum ordinatis, ad *tex. in c. 1. de Juram. Calu.* ibi nos itaque Divinæ, & humanæ leges, & *c. Accusationes 3. q. 5.*, quod lex de sabbato sanctificando sit divina, concedimus, at modus sanctificandi audiendo missam, non est de Jure divino, sed Ecclesiastico, *Fermosm. in c. translato de constit. q. 1.*, & 3.

12 Quod autem afferebatur de S. Elisabetha Regina Portugaliæ, actum quidem heroicæ virtutis fatemur, laudamus, & admiramur, sed superans mulierum universalem infirmitatem, cui Ecclesia compatitur, eo modo quo laudatur tamquam actus magnæ virtutis, si Virgo potius martirium subeat, quam matrimonium contrahat, at non per hoc damnantur Virgines, quæ imbeciliores contrahunt matrimonium, *Paul. ad Corinth. c. 7.*, ibi, & si nupserit Virgo non peccavit.

13 D. Apostolus Paulus scribens ad Timotheum epistolam 1. c. 5., multam diligentiam requirit à Vidua in regimine domus cui præest, ibi *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt, si qua autem Vidua filios, aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, & mutuum vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo, quæ autem verè vidua est, & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte ac die, si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam*

*non habet fidem negavit, & est infideli deterior, ex quibus aliisque in ea epistola de Vidua recentis patet, quod si Vidua curam Domus, & familiæ negligat culpam committat, nec debet parentes negligere, à quibus tot laboribus enutrita, tot curis educata fuit, & ad hoc dicit Paulus dicto c. 5., mutuum vicem reddere parentibus, eis inserviando, si vivant, mortuos verò religioso suffragio obsequendo; Neque debet orationis studium, & frequentiam negligere dicente Paulo. Quæ autem Vidua est, & desolata speret in Deum, & instet obsecrationibus, & petitionibus nocte ac die, ad quod D. Ambrosius de Anna Vidua prophetissa, de qua Luca c. 2., ait, Cujus diversorium erat in templo, colloquium in prece, Vita in Jejunio; Quod etiam Cæsares disertis verbis editis legibus insinuarunt, dum præcipiunt partus apud Viduas alienos sine ulla suspitione, alias si suspitio sit, quod mater Vidua ita filiarum potissimum curam negligant, ut periculum dignosci possit honestatis in eis, apud alios tutiori curæ esse committendas, *tex. est in l. 1. ff. ubi pupillus educari debeat, ibi Imperator Severus rescripsit, Prætores æstimare, debere presentibus cæteris propinquis, liberorum, id enim agere prætores oportet, ut sine ulla magna suspitione alatur partus, & educetur, similemque, *tex. habemus in l. 1. C. Ubi pupill. ed. deb.*, ideoque, si mater Vidua transeat ad secunda vota, sicque suspecta fiat, ut amore novi mariti illecta, filiorum primi Viri curam negligat, Prætoris Judicio committitur, cui cura eorum sit commendanda, *Surd. de aliment. tit. 4. q. 13. num. 21. 22. 23.***

14 Non negligat Vidua se ipsam custodire, idest mores, & actiones, quia cum Vidua noverit sua, & aliena vitia, nisi cautè, & diligentius se custodiat, facilè à recto declinabit, & difficilius dirigetur, ut afferendo discrimen in hoc inter Virginem, & Viduam scripsit Tiraquel. de legibus Conubial. in l. 6. glos. 1. num. 3.



## De Negligentia Universitatis, seu Communitatis.

### SUMMARI A.

- 1 Quod Communiter possidetur, communiter negligitur.
- 2 Communitas est persona ficta, & Idealis consistens in aggregato plurium Individuorum collectivè sumptorum.
- 3 Universitas, Communitas, Collegium, Societas, sunt veluti Synonima ad effectum de quo, in Casu negligentiae.
- 4 Videtur in Universitate non posse cadere culpam, aut dolum, neque est subiectum capax Censuræ.
- 5 Universitas potest delinquere in committendo, ut imponendo gabellas iniustas, & tunc requiritur, quod major pars concurrat, & consilio inito, & consensu.
- 6 Potest etiam delinquere in omittendo, quæ tenetur facere.
- 7 Omisso Universitatis potest habere tractum successuum.
- 8 Quandoque delictum tam in committendo, quam in omittendo, non imputatur Universitati, sed singularibus, puta officialibus, ut si excedant fines mandati.
- 9 Officiales Communitatis, qui propter impostam gabellam iniustam incurrerunt excommunicationem, perseverant in excommunicatione etiam finito officio, si neglexerunt emendare delictum; & successores incurrunt eandem, si infra mensem non emendarunt.
- 10 Limita si aliqua competeret excusatio.

## ARTICULUS XXXI.

### De Negligentia Universitatis, seu Communitatis.

**H**X quo Philosophus 2. Politicorum c. 2. posuit, quod quæ Communia sunt negligentius curantur, & solet dici, quod communiter possidetur, communiter negligitur, ad quod facit *tex. in l. meminimus C. quando, & quibus quarta pars debet lib. 10.*, quia cum nullus possit dicere, hoc est meum; ideo nullus curat tamquam alienum; Qua propter de hac neglecta cura rerum Universitatis placuit inquirere, ut pateat, quis de ea culpetur.

2 Pro cujus investigatione, noto, quod Universitas, seu Communitas est persona ficta, & idealis, ad tradita per *Barbosam tract. de appellativa verborum appellat. 189.*, & in *Authent. item quæcumque Communitas, ubi distinguitur Communitas à Persona, C. de Episcopis, & Cleric., Felin. in c. eam te num. 14. vers. secunda declaratio, & num. 15., vers. Queritur an statutum de rescript., Fagnan in c. ex parte de Officio Vic. num. 14.*

ideoque non reperitur in Mundo nisi fundamentaliter, ut dicunt plures Philosophi, & ita intelligitur *Gabriel. lib. 6. tit., quod cuiusque Universitatis nomine Concl. 1.*, & consistit in aggregato plurium Individuorum, ad tradita per *Oldrad. Consil. 315., Roman Consil. 40. num. 9.*, quorum operationes attribuntur Universitati, si eo nomine agant, seu tamquam Ministri, & Officiales Communitatis operentur ea scilicet, quæ non singulos, sed communiter Cives respiciunt, & in hoc sensu intelliguntur ea, quæ *toto tit. ff. quod cuiusque Universitatis nomine per Juris Consultum, apponuntur, Paris Consil. 91. num. 11. lib. 4.* unde Universitatis nomine intelliguntur homines collectivè sumpti, & acta Universitatis dicuntur, quæ agunt prædicti homines prout collectivè sumpti, *Gabriel. d. concl. 1. num. 4.*, & legitimè congregati, *Cagnol. in l. 121. §. Refertur ad universos n. 5. ff. de reg. Jur.*, ita negligere dicitur Universitas